DE

RERVM POST BELLVM PERSICVM

VSQVE AD TRICENNALE FOEDVS

IN GRAECIA GESTARVM TEMPORIBVS

DISPVTAVIT

ARNOLDVS SCHAEFER D. PH.
IN ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA HISTORIAE PROFESSOR P. O



LIPSIAE
PROSTAT IN AEDIBVS TEVBNERIANIS
MDCCCLXV.

LIPSIAE FORMIS EXPRESSIT B. G. TEVBNER.

Rerum quae post victorias apud Plataeas et apud Mycalen reportatas usque ad foedus triceunale inter Graecos evenerunt tempora quam non sint certis testimoniis scriptorum definita, vel mediocriter in historia graeca versatum non fugit. Neque enim inter aequales inventus est qui res ab Atheniensibus sociisque ducibus Cimone Myronide Tolmide Pericle terra marique praeclare gestas quemadmodum tam splendidam materiam tractari par erat scriberet: dum bene facere reipublicae principes inter se viri aemulantur, facta referre atque in posteritatis memoriam verbis illustrare nemo ad se pertinere arbitratus est. Quamquam quin ab annalium scriptoribus, qui hac potissimum aetate in singulis civitatibus extiterunt, quid quoque anno memorabile gestum sit, notatum fuerit dubium non est, tamen ne his auctoribus nimium tribuamus Thucydidis iudicium vetat qui I 97 de Atheniensium rebus dicit τοῖς πρὸ ἐμοῦ ἅπασιν ἐκλιπὲς τοῦτο ἦν τὸ χωρίον καὶ ἢ τὰ πρὸ τῶν Μηδικῶν Ἑλληνικὰ ξυνετίθεσαν ἢ αὐτὰ τὰ Μηδικά· τούτων δ᾽ ὅσπερ καὶ ἥψατο ἐν τῇ Ἀττικῇ ξυγγραφῇ Ἑλλάνικος βραχέως τε καὶ τοῖς χρόνοις οὐκ ἀκριβῶς ἐπεμνήσθη. Alios, qui extra Athenas vixerunt, praeter Hellanicum Ephorus, quo postea duce Diodorus Plutarchus alii usi sunt, adhibuisse videtur, ita tamen ut temporum parum rationem haberet, quod non annales componebat, sed capitulatim scribebat. Quae cum ita sint multis nominibus Thucydidi gratia habenda est, quod res ab eo tempore, quo Herodotus scribendi finem fecerat, i. e. ab Sesti obsidione usque ad initia belli Peloponnesiaci gestas digressione illa illustrissima, quam grammatici πεντηκονταετίαν dixerunt, persecutus est. Neque tamen hoc ita instituit, ut quidquid memoria dignum per illos quinquaginta annos factum esset, memoriae proderet, sed ea tantum narravit quae Athenienses bello domique gesserunt quo sibi imperium pararent atque stabilirent. Quae ad hunc finem sibi propositum non necessario pertinere putabat, praetermisit, ea potissimum quae legibus constituta aut in iudicio vel in contionibus acta sunt. Quapropter magnopere erraret, qui silentio Thucydidis, cuius nos saepe rationem reddere non possumus, effici putaret aliquid factum non esse cuius apud alios scriptores memoria servata est. Accedit aliud quod difficultatem parit. Thucydides enim seriem quidem rerum indicavit et intervalla temporum, saepius autem haec generatim verbis ἔπειτα, μετὰ ταῦτα, χρόνῳ ὕστερον, raro numero annorum descripsit. Quare ut quae hic auctor tradidit ad annorum rationes revocemus, aliunde nobis subsidia petenda sunt.



Haec subsidia obiter quidem intuenti Diodorus praebere videri potest, quippe qui narrationi suae archontes atticos consulesque romanos interposuerit ita ut speciem annalium efficeret. Sed qui paulo accuratius in huius scriptoris indolem inquisiverit, mox intelleget, quanta is neglegentia in rebus adornandis versatus sit. Hic Diodorum animadvertet annos inter se commutasse neque quo debebat acta posuisse: illic cum historiarum libros compilaret non in annalium formam compositos, longum rerum per complures annos gestarum ambitum nulla temporis ratione habita uno capite

absolvisse, prinsquam magistratuum novi anni nomina poneret: denique quicunque errores per socordiam committi possunt commisisse neque in ulla operis sui parte, quae quidem nobis servata sit, plures quam in ea qua res post Xerxis in Graeciam expeditionem gestas narravit. Quare summopere cavendum est ne ubi Diodorum sequamur falsa et perversa pro veris nobis imponi patiamur.

Merito igitur docti homines ante omnia operam dederunt, ut fundamenta certa ponerent, dein ad haec fundamenta seriem temporum accommodarent. Et Dodwellus quidem, quem Corsinus Fast. att. part. II. in plerisque secutus est, quantopere in annalibus Thucydideis a. 1702 editis temporum rationes coniecturis turbaverit, Heinricus Clinton in Fast. graecor. vol. II. app. 8 accurate ut solebat exposuit. Clinton Thucydide auctore (I 100. IV 102) constare censebat Thasios ol. LXXVIII. 4. 465. ab Atheniensibus defecisse atque hoc fundamento rationum usus res et prioribus et insequentibus annis gestas ordinavit. Contra C. Guil. Kruegerus et cum Clintonis tabulas in latinum sermonem converteret (1830) et in stud. hist. et philol. vol. I, quod Berolini a. 1836 edidit, prorsus aliam viam ingressus est. Quamvis enim probe nosset aliisque locis ipse docuisset quam non esset Diodoro fides habenda, tamen eorum quae de Themistoclis temporibus sibi persuaserat, apud Diodorum documenta invenisse sibi visus est. Negat enim vel hunc scriptorem de anno, quo Athenienses ad Eurymedontem eodem die terra marique hostes fuderint, errare potuisse (pag. 8. 45), et hoc tamquam fundamento innisus rationes longe aliter atque Clinton fecerat disposuit. Clinton Kruegeri argumenta, quae quidem in fastorum versione prolata erant, breviter examinavit in fastorum editione tertia edita illa Oxonii 1841 p. 215 sqq. Postea qui historiam graecam scripserunt Angli Thirlwallus et Grotius Clintonem secuti sunt: inter nostrates et alii et nuper Classenius in editione Thucydidis Kruegero adstipulati sunt: aliis non persuasit, inter quos Boeckhium nomino, Ernestum Curtium, Peterum, neque tamen ex his qui rationes aliter subduxerunt quisquam disertis verbis Kruegerum refutavit. Propterea operae pretium me facturum esse putavi, si quid de rationibus illorum temporum statuendum esse videatur, hoc scribendi mihi imposito officio breviter exponam.

I.

Si quaeritur unde annorum definitio illis temporibus de quibus agitur pendeat, inter harum rerum peritos nemo negabit, primum in ea locum tenere archontum atticorum fastos eorumque cum olympiadibus aequationem, alterum regum successiones. Iam olympiades quomodo atticis archontibus aequandae sint per totum hoc tempus constat: nota sunt archontum, qui inde ab ol. LXXV. 480 a. Ch. n. annuo magistratu Athenis functi sunt, nomina neque post Clintonem quisquam dubitabit, cui anno quisque archon adsignandus sit. Certum igitur est atque concessum ab omnibus, quo anno Xerxes Graeciam invaserit olympiadem LXXV actam esse eodemque Calliadem summum Athenis magistratum iniisse, bellum Peloponnesiacum incepisse ol. LXXXVII a. 1 exeunte archonte Pythodoro. Ne tamen quidquam intentatum relinqueretur, inventus est qui vel haec quae ita tradita nobis sunt, ut dubitari non posse viderentur, in disceptationem vocaret. Iulius enim Zechius in dissertatione quam de insignioribus quibusdam siderum defectionibus, quae a scriptoribus antiquis memorantur, scripsit (edita est Lipsiae 1853) illud quidem agnovit (p. 30 et 44) solis defectionem eam cuius Thucydides II 28 meminit d. III m. Augusti a. 431 incidisse (ol. LXXXVII a. 2), quod plane cum historia congruit: Xerxem autem contendit (p. 39 sqq.) non illo vere, quod ol. LXXV praecessit, Hellespontum transiise, sed duobus annis post, ol. LXXV, 2. 478 a. Ch. n. Causa haec

est, quod solis defectio, qua Xerxes postquam cum exercitu Sardibus movit territus esse traditur (Herod. VII 37. Aristid. schol. p. 581 Dindorf), alia cogitari non possit, quam ea quae d. XVI m. Febr. a. Iulian. 478 incidit. *) Statuit igitur hanc quaestionem siderum cursu diiudicandam esse neque dubitat scriptorum testimonia vel reiicere vel in suum usum contorquere, nisi quod mentionem ludorum olympiorum, qui quo tempore ad Thermopylas pugnatum est, acti esse traduntur (Herod. VII 206. VIII 26) haud ita facile aboleri posse concedit. Scilicet vir inter astronomos doctissimus scite invento non recte usus est. Namque solis defectionem, quae primo vere a. 478. observata est, devictis priore anno apud Plataeas Mycalenque Persarum copiis, ab aequalibus ad imminentem imperii Persarum interitum relata est: mox ut amant superstitiosi mirabilia conquirere de rei vel temporis veritate parum curiosi signum quod subsecutum erat in vaticinium iam ante editum mutatum est. Herodotus autem quod insequenti saeculo ore hominum traditum accepit nobis narravit, neque propterea aerae olympiacae et annorum atticorum rationes conturbandae sunt.

Praeter archontes atticos videndum est num quid regum Persarum et Spartanorum successionibus doceamur. Persarum reges illa aetate Xerxes et Artaxerxes fuerunt, de quorum temporibus cum scriptorum testimoniis tum canone astronomico certissime constat. Quae omnia et a Clintone F. H. vol. II cum in tabulis tum in appendicis c. 18 et a Boeckhio in libro quem de Manethone composuit p. 165. 351 sqq. ita sunt exposita, ut hanc quaestionem retractare prorsus supervacaneum sit: cf. etiam quae Kleinertus collegit in symbol. theolog. Dorpat. vol. II p. 1—232 (Hamburg. 1833). Et Xerxes quidem quin aerae Nabonassaris a. 263. initio anni a. Ch. n. 485. ol. LXXIII. 3 Dario successerit dubium non est. Regnavit secundum canonis rationes annos unum et viginti: successit Artaxerxes aerae Nab. a. 284. post d. XVII m. Dec. a. 465. ol. LXXVIII. 4. Interregnum Artabani, quod integrum annum non complevit — neque enim septem mensibus amplius rerum potitus est — in canone Xerxis regno additur. Manetho (fr. 68 Mueller) et hic et postea in simili re erravit, quod, cum Xerxi viginti et unum annum tribuisset, insuper septem Artabani menses adscripsit. Rectius Diodorus XI 69 ol. LXXVIII. 4. 465 scribit Ξέρξης μὲν οὖν ἐτελεύτησε βασιλεύσας τῶν Περσῶν ἔτη πλείω τῶν εἴκοσι. Videtur enim Xerxes, quemadmodum Clinton coniectura admodum probabili p. 314[b] posuit, circa mensem Iulium a. 465 interfectus esse, Artaxerxes occiso Artabano circiter mense Februario a. 464 regnum iniisse. Artaxerxi in canone anni unus et quadraginta tribuuntur, unde sequitur ut Darii II regnum ab aer. Nabon. a. 325, qui incepit VII. m. Dec. a. 424 a. Ch. n. (ol. LXXXVIIII. 1.) computetur: duo enim menses quos Xerxes II et septem quos Sogdianus regnavit tamquam annus completus Artaxerxis regno additi sunt. Re vera Artaxerxes non amplius quadraginta annis regnavit, quod Diodorus XI 69. XII 64 recte notavit: hieme enim ol. LXXXVIII. 4. a. Ch. n. a. 425/4 mortuum esse Thucydides testatur IV 50.

Haec igitur tam certa habemus tamque testimoniis firmata, ut nullam dubitationem relinquant: nam si quid auctores variant, id eiusmodi est ut fidem non demat sed addat, quoniam apertum est diversas computandi rationes in summa re ad idem redire. Neque tamen defuerunt qui aliter sentirent. Kruegerus enim cum in dissertatione de pace cimonia a. 1824 edita (in Seebodii arch. philol. I 2, 217 sqq.) de rebus Themistoclis exponeret, mero Diodori errore Artaxerxis initia

---

*) Hunc enim annum Zechius significat, cum secundum mathematicorum rationem a. 477 nominat. Quem enim chronographi annum a. Ch. n. primum dicunt, is astronomis est = o. Quod non adnotarem, nisi Heinricum Steinium in commentario ad Herodoti l. l. neglexisse viderem, qui ceteroqui recte de hac quaestione iudicavit.

ad ol. LXXVIII. 4. (465/4) referri pronuntiavit, quae duabus olympiadibus ante (ol. LXXVI. 3/4. 473) statuenda fuissent, idque Themistoclis historia doceri contendit. Hoc Kruegeri commentum cupide arripuit Hengstenbergius, quod cum ea opinione, quam de septuaginta hebdomadibus in libro Daniel IX 24—27 propositis conceperat, optime convenire videretur, atque in Christolog. vol. II 541—560 (1832) (secundae editionis vol. III 1. 166—179) pluribus confirmare studuit. Mox Kruegerus iterum in eandem sententiam disputavit in dissertatione de Thucydidis pentecontaëtia conscripta, quam stud. hist. et philol. vol. I a. 1836 edito inseruit. Verum de Hengstenbergii sententia sic existimo, si vel maxime illam prophetiam recte explicaverit, quod equidem non diiudico, tamen propterea regum successiones non esse conturbandas, sed, quod alio loco innuit (p. 535 sq. cf. Marci Niebuhrii hist. Babyl. p. 7.), acquiescendum, si hebdomades illae a rerum gestarum temporibus non ita multum diversae sint. Quae praeterea argumenta affert ea accuratius atque argutius a Kruegero exposita sunt, ut suam de Themistoclis fuga sententiam tueretur. Themistocles enim Charone et Thucydide auctoribus ad Artaxerxem regem pervenit, qui si anno a. Ch. n. 465 regno potitus est, sequitur ut non multo ante Themistocles e Graecia fugerit. Quod cum suae opinioni adversari videret, mirifico sane modo testimoniorum fidem convellere conatus est (stud. p. 51 sqq.). Tacet enim de canone astronomico, de Manethone, de chronographis, et quasi cum uno Diodoro, cui multi quidem sed nullius fere momenti scriptores accedant, sibi res sit, agit (p. 37. 53, 2): obiter demum p. 58 praeter Diodorum canonis quoque mentionem iniicit. Longe autem aliud est, utrum scriptoris alicuius eiusdemque notae levitatis testimonium reiiciatur, an canonis, cuius fides historica multis locis excussa semper spectata ac probata est ita ut ne Kruegerus quidem praeter hunc locum de ea dubitet. Cf. Ideleri manual. chronol. I 109—124. Marc. Niebuhr l. l. p. 9 sq. Deinde, quod demonstrandum erat, pro concesso sumens Thucydidem dicit (p. 58) et Charonem, qui nihil aliud nisi Themistoclem ad Artaxerxem venisse memoriae prodiderunt, Artaxerxis regni initium duabus olympiadibus prius ponere quam complures posterioris aevi scriptores. Praeterea in subsidium vocat (p. 59. 63) Photii ex Ctesiae Persicis excerpta, in quibus cum de Xerxe postquam ex Graecia rediit nihil fere narretur (§ 28. 29. Phot. bibl. cod. 72 p. 39 b Bk.) indicium sibi deprehendisse visus est Xerxem paucis annis post e vita excessisse: quasi ex Photii excerptis certo concludi possit, quid Ctesias non narraverit, vel Xerxes, cum nihil memorabile posthac gesserit, vitam otiosam longius ducere non potuerit. Accedit quod si Artaxerxem octo annis ante, quam a scriptoribus traditum est, regnum iniisse statuamus, difficultas illa, quam Kruegerus excogitavit, ne tollitur quidem: nam is quid his annis gesserit, dici nequit. Neque enim in Ctesiae excerptis quidquam narratur nisi primum Bactra, deinde Aegyptum defecisse: defecerunt autem Aegyptii ex Kruegeri quoque rationibus a. 460. Cf. Diod. XI 71 Ἀρταξέρξης — ἄρτι τὴν βασιλείαν ἀνακτησάμενος τὸ μὲν πρῶτον κολάσας τοὺς μετεσχηκότας τῆς τοῦ πατρὸς ἀναιρέσεως διέταξε τὰ κατὰ τὴν βασιλείαν συμφερόντως αὑτῷ. — οἱ δὲ τὴν Αἴγυπτον κατοικοῦντες πυθόμενοι τὴν Ξέρξου τελευτὴν καὶ τὴν ὅλην ἐπίθεσιν καὶ ταραχὴν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν Περσῶν ἔκριναν ἀντέχεσθαι τῆς ἐλευθερίας. Trogi prolog. l. III: *ut mortuo Xerxe filius Artaxerxes ultus interfectorem patris Artabanum bellum cum defectore Aegypti habuit.*

Quid quod Kruegerus ne illud quidem suis rationibus obstare concedit, quod Ctesias solito minus a vero aberrans Artaxerxis regno quadraginta duos annos tribuit: corrigit enim importunos numeros, ut pro quadraginta duobus quadraginta octo anni evadant (p. 62 sq.). Neque plus valet argumentum quod ex Iustini hist. phil. III, 1 protulit, qui Artaxerxem, cum Xerxes ab Artabano occideretur, puerum admodum fuisse dicit. Artaxerxem enim Kruegerus (p. 60 sq.) circa olympiadis LXXII finem (i. e. circiter a. 488 a. Ch.) natum esse coniicit: recte igitur puerum dici, si Xerxes ol. LXXVI. 4.

obierit: at ol. LXXVIII. 4 iuvenem fuisse. In qua ratione illud plane incertum est, sitne Artaxerxes aliquot annis post natus quam Kruegerus vult, ut iure nostro liceat ponere illum viginti fere annorum fuisse, ubi sua manu, ut eiusdem Iustini verbis utar, *egregius adulescens et caedem patris et se ab insidiis Artabani vindicavit*, qua aetate pueros a Romanis saepe dictos esse ne Kruegerus quidem negat. Nihil igitur attulit quo demonstretur et in canone astronomico et apud scriptores Xerxis atque Artaxerxis annos non recte constitutos esse: imo his firmum rationum nostrarum fundamentum paratum esse apparet.

II.

Transeo ad reges Spartanorum. Ex Agiadis Leonidas apud Thermopylas cecidit, quo tempore olympias LXXV acta est, a. 480 a. Ch. n., Cleombrotus apud Leuctra ol. CII a. 2 initio. Medii sunt centum novem anni, quibus Leonidae filius Plistarchus, deinde Pausaniae posteri Plistoanax, Pausanias huiusque filii Agesipolis et Cleombrotus regnum obtinuerunt. Plistoanactem Diodorus XIII 75. ol. XCIII. 1. 408 obiisse dicit, cum quinquaginta annos regnasset, Pausaniam quattuordecim, donec in exilium pelleretur, quod factum est ol. XCVI. 3. 394 (XIV 89): ex huius filiis qui maior natu erat Agesipolim eundem annorum numerum usque ad ol. C. 1. 380 eiusque fratrem Cleombrotum novem annos usque ad ol. CII. 2. 371 (XV 23). Attuli hos numeros ut Diodorum constare sibi ostenderem: neque quidquam in eis inesse quod cum aliis testimoniis pugnet, Clinton Fast. vol. II app. III docuit. Sequitur ut Plistarchus, qui postquam sub tutoribus fuit, Pausania primum (Thuc. I 132), deinde fortasse eius fratre Nicomede, ipse adultus per breve tantum tempus regnum administravit (Paus. III 5, 1), ol. LXXX. 3. 458 mortuus sit. Plistoanactem regem fuisse, quo tempore Lacedaemonii Doriensibus contra Phocenses auxilium ferrent et mox apud Tanagram cum Atheniensibus proelio confligerent, Thucydides I 107 auctor est, qui imperium penes Nicomedem fuisse ait ὑπὲρ Πλειστοάνακτος τοῦ Παυσανίου βασιλέως, νέου ὄντος ἔτι. Proelium Tanagrense, ad ol. LXXX. 4. 457, i. e. ad alterum Plistoanactis annum referendum esse infra videbimus. Plistoanax ipse ol. LXXXIII. 3. 446 exercitui Peloponnesiorum praefuit, quod fines atticos ingressus mox Periclis artibus repulsus est: quo crimine Plistoanax solum vertit et per undeviginti annos in exilio vixit, donec post Archidami mortem ol. LXXXVIII. 2. 427/6 in regnum restitueretur. Quamdiu Plistoanax exulabat, regium nomen ad eius filium Pausaniam delatum est, quem ol. LXXXVIII. 1. 427 nondum sui iuris fuisse apud Thucydidem legimus III 26 ἡγεῖτο δὲ — Κλεομένης ὑπὲρ Παυσανίου τοῦ Πλειστοάνακτος υἱέος βασιλέως ὄντος καὶ νεωτέρου ἔτι, πατρὸς δὲ ἀδελφὸς ὤν.

Ad haec tempora, quibus Plistoanacte exulante Pausanias rex vocabatur, pertinent quae apud Pausaniam III 14. 1 in Spartae descriptione leguntur τὰ δὲ ὀστᾶ τοῦ Λεωνίδου τεσσαράκοντα ἔτεσιν ὕστερον ἀνελομένου ἐκ Θερμοπυλῶν [Παυσανίου τοῦ Πλειστοάνακτος] τοῦ Παυσανίου κεῖται: nam quin Schubartus additis quae uncis inclusi vocabulis hunc locum restituerit, equidem non dubito. Aliam viam iniit Odofredus Muellerus, qui Doriensium vol. II² p. 488, 40 pro numero τεσσαράκοντα scribendum esse censuit τέσσαρσιν, eumque secutus Ernestus Curtius hist. gr. vol. II p. 100. 690 n. 20 Pausaniam ol. LXXV. 4. 477 in Thessaliam profectum esse statuit, ut Spartanorum principatum firmaret, deque ea expeditione Leonidae ossa Spartam transtulisse. Mihi contra certum est Pausaniam, cuius in Thessaliam expeditionis nemo scriptorum meminit, illo anno Graecorum classi praefuisse, neque intellego quid Lacedaemoniis causae fuerit, ossa Leonidae, quae post victoriam Plataeensem a Thermopylis tamquam loco sacrato removere noluerant, tribus annis post Spartam devehendi. Post quadraginta annos res aliter se habebant: namque quam maxime florenti Atheniensium

imperio regis Lacedaemonii sepulcrum non ab omni casu tutum videri poterat, quare in ipsis Samii belli initiis Spartam transtulerunt.

Agiadarum annos Diodorum vidimus accurate adnotasse: erravit in Eurypontidis. XI 48 Leotychidae duo et viginti annos tribuit, Archidamo, nepoti Leotychidae et successori quadraginta duo: eundem Archidamo annorum numerum XII 35 adsignat. In his numeris nihil est quo offendamur, imo aliis testimoniis confirmari statim videbimus, verum non suis eos locis Diodorus inseruit. Leotychidem enim scribit archonte Phaedone ol. LXXVI. 1. 476/5 mortuum esse et successisse Archidamum: Archidamum obiisse ol. LXXXVI. 3. 434/3. Quod perversum esse ex ipsius Diodori historiis doceri potest, qui XII 42 post inceptum bellum Peloponnesiacum ol. LXXXVII. 2. 431 Peloponnesios primum duce Archidamo Atticam invasisse refert: deinde cum secundae expeditionis (c. 45) ducem non nominasset, c. 47 ol. LXXXVII. 4. 429 Archidamum Plataearum obsidionem instituisse, c. 52 ol. LXXXVIII. 1. 428 eundem denuo Atticam vastasse narrat, cetera recte, nisi quod more suo, quamquam archontes atticos et olympiades notat, tamen annos non ab media aestate, sed ab hieme quae praecessit, computat. Cuius rationis luculentum exemplum hic ipse locus praebet. Eam enim expeditionem, quam Diodorus in exitu primi ol. LXXXVIII. anni memorat, ex Thucydide III 1. 8 novimus inceptam esse et finitam ἅμα τῷ σίτῳ ἀκμάζοντι, circa initium mensis Iunii, antequam ludi olympiaci celebrarentur, l. c. anno quidem a. Ch. n. 428, olympiade autem LXXXVII exeunte, Epaminone archonte, non Diotimo. Sed ut ad rem redeamus ol. LXXXVIII. 1. 427 non Archidamus, sed Cleomenes regis Pausaniae tutor exercitum in Atticam eduxit (Thuc. III 26), sequenti vere, ol. LXXXVIII. 2. 426 Peloponnesii exierunt Ἄγιδος τοῦ Ἀρχιδάμου ἡγουμένου Λακεδαιμονίων βασιλέως (Thuc. III 89): mortuus igitur est Archidamus ante ver ol. LXXXVIII. 2, quo anno Plistoanactem de exilio revocatum esse supra vidimus, et si Diodorus verum regni eius annorum numerum enotavit, non ol. LXXVI. 1. 476, sed ol. LXXVII. 4. 469/8 Leotychidi successit. Haec ratio aliis testimoniis comprobatur. Pausanias IV 24, 5 Messenios contra Lacedaemonios rebellasse tradit κατὰ τὴν ἐνάτην ὀλυμπιάδα καὶ ἑβδομηκοστήν, ἣν Κορίνθιος ἐνίκα Ξενοφῶν, Ἀρχιμήδους (imo Ἀρχεδημίδου) Ἀθήνησιν ἄρχοντος, i. e. a. Ch. n. a. 464/3, Plutarchus in vit. Cimon. c. 16 Ἀρχιδάμου τοῦ Ζευξιδάμου τέταρτον ἔτος ἐν Σπάρτῃ βασιλεύοντος. Ex Spartanorum fastis annus aequinoctio autumnali terminabatur (vd. C. F. Hermanni diss. de mens. graec. ins. act. acad. Gott. a. 1844 p. 112): ergo si post m. Sept. a. 469 regnum iniit, quartus eius annus finitus fuit aequinoctio autumnali a. 464 a. Ch. n. Quae reliqua erat quaestio ut explicaretur unde Diodori error ortus esset, eam Kruegerus l. l. p. 151 sqq. solvit: scilicet Diodorus ad annum ΦΑΙΔΩΝΟϹ archontis ol. LXXVI. 1. adnotavit Archidami successionem, quae pertinebat ad ol. LXXVII. 4. archontis ἈΨΕΦΙΩΝΟϹ vel ΑΨΗΦΙΩΝΟϹ, cuius nomen saepius vel corruptum vel oblitteratum scriptores fefellit. In Diodori codicibus XI 63 Φαίωνος scribitur, apud Diogenem Laertium II. 44 Ἀψίωνος vel Ἀψεφίωνος, in Plutarchi vit. Cim. c. 8 Ἀφεψίων: in marmore Pario l. 72 exstat scriptura ἈΨΗΦΙΟΝΟϹ. cf. Boeckh C. I. G. II p. 340. Kruegeri coniecturam archontum nomina a Diodoro commutata esse statuentis eo facilius probabimus, si consideraverimus etiam ab aliis simili modo erratum esse. Geloni, qui septem annos Syracusis regnavit, archonte Timosthene ol. LXXV. 3. 478 Hieronem fratrem successisse constat: Hieronem, postquam undecim annos et septem menses regnavit, archonte Lysistrato ol. LXXVIII. 2. 467/6 obiisse: secutum esse Thrasybulum, quo post undecim menses pulso Syracusani tyrannidem abrogarunt. Haec omnia Diodorus accurate notavit (vd. Boeckh. Pind. explic. p. 100 sq. Clinton. tabul. et app. 10): at in marmore Pario l. 69. 71. scriptum est archonte Athenis Timosthene non Hieronem, sed Gelonem Syracusis potitum esse, septem annis post (quot Gelonem Syracusis regnasse diximus) archonte Charete Hieronem.

Quae falsa esse et per scriptoris oscitantiam Gelonis regnum et mortem commutantis turbata patet: cf. Boeckh. comm. ad marm. Par. ep. 53. C. I. G. II 339. Poteram brevius hac quaestione defungi, nisi Georgius Grotius hist. gr. V 348 nimio subtilius Diodorum opinetur annum quo Leotychides in exilium iverit cum illo quo mortuus sit commutasse, scilicet ut temporis notationi per errorem inductae aliquid tamen veri subesse concedatur. Cui Ernestum Curtium in hist. gr. II 690 adsensum esse miror. Quid enim Spartanorum civitatis interfuerit, quando Leotychides exul diem supremum obiret, equidem non video: certe primus annus Archidami regis non computatus est ex quo Leotychidem Tegeae mortuum esse adlatum est, sed ex quo Archidamus regnare coepit. Neve quis coniiciat Archidamum a. 476 impuberem fuisse, a. 469 adultum res publicas administrare coepisse, licet hoc ad annorum eius regni numerum definiendum nihil valeret, tamen non praetermittam, Leotychidem etiamtum regem nepoti suo Archidamo filiam, quam ex altera uxore susceperat, in matrimonium dedisse (Herod. VI 71). Diodorum autem non ex continua narratione deprompsisse quae de Leotychidis exitu scribit, sed ex tabulis, in quibus nihil nisi regum series atque anni quot quisque regnavit perscripti erant, apertum est: plane enim ignorasse eum Leotychidi ab ephoris diem dictam fuisse, quod a Thessalis pecunia corruptus esset, docent verba XI 48 ἐπὶ δὲ τούτων Λεωτυχίδας ὁ τῶν Λακεδαιμονίων βασιλεὺς ἐτελεύτησεν ἄρξας ἔτη εἴκοσι καὶ δύο, τὴν δὲ ἀρχὴν διαδεξάμενος Ἀρχίδαμος ἐβασίλευσεν ἔτη τεσσαράκοντα καὶ δύο. Leotychidem Demarato deposito regem factum esse anno ante pugnam Marathoniam etiam aliis rationibus demonstratur, de quibus vd. Clinton. l. l. p. 208. Duncker. hist. ant. IV p. 663. Spartani igitur reges quibus annis regnaverint, certo constat.

III.

In regum Spartanorum successione errorem Diodori ex archontis attici Apsephionis cum Phaedone permutatione ortum esse vidimus. Eadem archontum nomina apud Plutarchum in historia Scyri insulae ab Atheniensibus occupatae ita leguntur, ut alterutrum falsum esse et olim a Bentleio et nostra memoria ab Kruegero iudicatum sit. Quae res quo facilius perspiciatur paulo altius repetenda est. Cimonem notum est ex quo primum rempublicam capessivit ab optimatium partibus stetisse neque quidquam omisisse, quo et plebis favorem sibi conciliaret et omnes cives quantum fieri posset ad Spartanorum exemplar legum a maioribus traditarum reverentia imbueret. Idcirco cum Alcmaeone Themistocli adversatus est hocque clarissimo cive testarum suffragiis in exilium misso ipse Ephialtem, mox Periclem adversarios habuit. Quibus artibus civilibus, splendore munificentiaque Cimon apud populum gratiosus fuerit exponendi hic locus non est: ea tantum quae ad rempublicam pertinent breviter perstringam. Qui Atheniensium imperium maritimum condiderunt summi viri Themistocles Xanthippus Aristides operam dederunt ut Athenienses inter socios ex foederis aequo iure constituti legibus principatum exercerent. Ita Persis ad Mycalen devictis Sestus ab Atheniensibus et Ionibus duce Xanthippo obsessa est et Hellespontus liberatus alteroque anno post Byzantio Pausania duce capto Pontus apertus est et mercatura restituta. Insequenti tempore cum Spartani Peloponnesiique mari cessissent, ab Atheniensibus eorumque sociis pleraeque civitates Persarum praesidiis liberatae atque, quod tributorum tabulae indicant, foederi adscriptae sunt. Vd. Herod. VII 106 sq. κατέστασαν γὰρ (a Persarum regibus) — ὕπαρχοι ἐν τῇ Θρηΐκῃ καὶ τοῦ Ἑλλησπόντου πανταχῇ. οὗτοι ὦν πάντες, οἵ τε ἐκ Θρηΐκης καὶ τοῦ Ἑλλησπόντου πλὴν τοῦ ἐν Δορίσκῳ ὑπὸ Ἑλλήνων ὕστερον ταύτης τῆς στρατηλασίης ἐξῃρέθησαν, τὸν δὲ ἐν Δορίσκῳ Μασκάμην οὐδαμοί κω ἐδυνά-

cθηcαν ἐξελεῖν πολλῶν πειρηcαμένων —. τῶν δὲ ἐξαιρεθέντων ὑπὸ Ἑλλήνων οὐδένα βαcιλεὺc Ξέρξηc ἐνόμιcε εἶναι ἄνδρα ἀγαθόν, εἰ μὴ Βόγην μοῦνον τὸν ἐξ Ἠιόνοc: quo loco Grotius hist. gr. V 396 sq. primus intellexit significari Athenienses sociosque pleraque oppida in Thraciae litoribus sita cepisse, quarum expeditionum nulla apud scriptores qui hodie extant, mentio facta est. Idem p. 391 sqq. docuit quid inter principatum atque imperium Atheniensium intersit.

Haec fuerunt prima tempora principatus Atheniensium. Verum Cimon ubi satis auctoritate valuit effecit ut Athenienses desinerent magnas parvasque civitates a barbaris liberatas in societatem recipere, verum ut pro principatu dominationem (ἀρχὴν) constituerent ea ratione ut oppida capta in sua potestate retinerent atque prioribus dominis vel pulsis vel in servitutem redactis ipsi colonias (κληρουχίαc) eo deducerent. Cf. Plut. Cim. c. 8 διὰ τί τοίνυν τὸ Κίμωνοc ὑπερηγάπηcαν ἔργον; ἢ ὅτι τῶν μὲν ἄλλων cτρατηγούντων ὑπὲρ τοῦ μὴ παθεῖν ἠμύνοντο τοὺc πολεμίουc, τούτου δὲ καὶ ποιῆcαι κακῶc ἠδυνήθηcαν ἐπὶ τὴν ἐκείνων αὐτοὶ cτρατεύcαντεc καὶ προcεκτήcαντο χώραc αὐτήν τε τὴν Ἠϊόνα καὶ τὴν Ἀμφίπολιν οἰκίcαντεc; Hoc modo et duci laus et gratia praeter ceteros parta est et civitati agri, quos inopi novarumque rerum studiosae multitudini adsignaret, idque non invitis Lacedaemoniis, qui cum Themistoclem ut inimicum timerent, Cimonem hospitem amicumque sibi apud Athenienses in honore esse gaudebant (ib. c. 16). Primam ex his expeditionibus in Thraciam suscepit et Pausaniam altera vice tum Byzantio potitum cedere coëgit (Thuc. I 131. Diod. XI. 60. Plut. Cim. 6. Cf. Guil. Vischeri or. de Cimone Basil. 1847 p. 44, 23). Eodem retulerim quae Plutarchus alio loco (c. 14) de Persis a Cimone ex Chersoneso pulsis recuperataque ab Atheniensibus Chersoneso narravit: neque enim probabile est Cimonem omisso Hellesponto terraque olim a maioribus suis possessa nondum recepta regiones Strymonias adgressum esse (cf. Vischer. l. l. p. 52 et 54). Deinde Eiona expugnavit; postea Scyri insulae in medio Aegaeo mari occupandae consilium summa prudentia sic executus est ut simul Graecorum invidiam minueret et civium suorum animos sibi devinciret. Cimonem amicitiam cum Thessalorum nobilitate coluisse vel nomen filii Thessali indicium est: indidem ex Thessalia Scyriis arma inferendi opportunitas oblata est, de qua Plutarchus in vit. Cim. c. 8. Thes. c. 36 exposuit. Scyrii Thessalos quosdam mercatores, qui non ad portum Scyriorum, sed ad aliam insulae stationem adpulerant, retentis mercibus in vincula coniecerunt. v. Cim. l. l. Θετταλούc τιναc ἐμπόρουc περὶ τὸ Κτήcιον ὁρμιcαμένουc cυλήcαντεc εἷρξαν. Harpocr. s. v. κατάγειν τὰ πλοῖα et quae Voemelius adnotavit ad Demosth. or. de pace 25 p. 63. Illi fuga elapsi Amphictyonum auxilium implorabant. Nec frustra: Delphicum concilium Scyriis litis amphictyonicae condemnatis multam imposuit. Quam cum non solverent neque mari Aegaeo praeter Atheniensium arma valerent, res ad Cimonem rediit, qui quo magis sacro officio operari videretur civitatemque religione obstringeret, oraculum a Pythia sibi dandum curavit, quo Athenienses iussi sunt ossa Thesei, qui in Scyro mortuus esse ferebatur, Athenas transvehere summoque apud se honore colere. Quod ubi procurasset, insulam ab eisdem optimatibus, qui Thessalis mercatoribus vim intulerant, de solvenda multa cum plebe discordantibus, proditam cepit Dolopibusque expulsis agros inter Athenienses divisit: simul Thesei ossa miraculo quodam reperta Athenas transtulit atque, ut auctor civitatis legumque antiquarum patronus debito honore coleretur, Theseum condidit. Vd. Curt. Wachsmuth. in Gerhardi monum. XV nr. 178. p. 98 sqq. 1863. Quod quando factum sit certo definire licet. Eodem enim tempore Sophocles cum primum fabulas docuisset (in quibus Triptolemum fuisse Plinius perhibet n. h. XVIII 7, 65) unaque Aeschylus, vicit ille indicibus ab archonte Apsephione constitutis decem imperatoribus, Cimone eiusque collegis, qui nuper a Scyro redierant. Eundem quem Plutarchus in hac narratione (Cim. c. 8) Apsephionem archontem ol. LXXVII, 4.

469/8 nominat marmor Parium l. 72 ep. 27 ἀφ' οὗ Σοφοκλῆς — ἐνίκησε τραγῳδίᾳ — ἔτη ΗΗΠΙ, ἄρχοντος Ἀθήνησι Ἀψηφίονος, neque Eusebius multum variat. Sequitur ut Scyrus ante Dionysia a. 468 a Cimone capta sit: priore anno, si Diodorum audimus, postquam a Byzantio ad Strymonem advenit, Eiona a Boge fortissime defensam cepit, archonte Demotione ol. LXXVII. 3. 470/469: ab hoc enim anno Diodorus (XI 60) continuam rerum a Cimone ante bellum Messenium gestarum narrationem incipit.

Haec omnia quam bene inter se cohaereant in aperto est: restat tamen quod offensionem habeat. In Plutarchi enim vita Thesei c. 36 oraculum cuius mandatum Cimon executus est non Apsephionis anno, sed Φαίδωνος ἄρχοντος μαντευομένοις τοῖς Ἀθηναίοις datum esse legimus, et in scholiis ad Aeschin. or. I 31, p. 48, 11 Dind. τὸ πρῶτον μὲν (Ἀθηναῖοι) Λυσιστράτου καὶ Λυκούργου καὶ Κρατίνου στρατευόντων ἐπ' Ἠιόνα τὴν ἐπὶ Στρυμόνι διεφθάρησαν ὑπὸ Θρᾳκῶν, εἰληφότες Ἠιόνα, ἐπὶ ἄρχοντος Ἀθήνησι Φαίδωνος. Hanc diversitatem variis modis homines docti explicare conati sunt. Et Clinton quidem, quae apud Plutarchum scripta sunt, prorsus invertit, sic ut Scyrum insulam ab Atheniensibus archonte Phaedone occupatam esse contendat, oraculum autem octavo anno post Apsephione archonte datum et tum Thesei ossa Athenas translata: quam rationem, licet probatam Boeckhio C. I. G. II p. 340, equidem omnium minime veri similem existimo. Grotius (V 409, 2) et Curtius (II 109 sq.) simili ratione, qua in Archidami regno eos fecisse vidimus, utrumque archontem retinent, ut Phaedonis anno oraculum editum esse, Apsephionis anno Athenienses quod ab Apolline iussi erant executos esse statuant. At mirum esset Cimonem, cuius consiliis totum negotium peractum esse vidimus, oraculi responsum octavo anno ante quam eo usus esset edendum curasse, quod de re quam tum maxime in manibus habebat Delphis petendum erat. Quod licet per se intellegi arbitrer, confirmatur etiam a Pausania III 3, 7 τῷ χρησμῷ δὲ τῷ γενομένῳ Λακεδαιμονίοις ἐς τοῦ Ὀρέστου τὰ ὀστᾶ καὶ Ἀθηναίοις ὕστερον ἐοικότα ἐχρήσθη κατάγουσιν ἐς Ἀθήνας ἐκ Σκύρου Θησέα, ἄλλως δὲ οὐκ εἶναί σφισιν ἑλεῖν Σκῦρον. cf. I 17, 6 ὁ μὲν δὴ Θησέως σηκὸς Ἀθηναίοις ἐγένετο ὕστερον ἢ Μῆδοι Μαραθῶνι ἔσχον. Κίμωνος τοῦ Μιλτιάδου Σκυρίους ποιήσαντος ἀναστάτους, δίκην δὴ τοῦ Θησέως θανάτου, καὶ τὰ ὀστᾶ κομίσαντος ἐς Ἀθήνας. Hoc senserunt et Bentleius olim (opusc. phil. p. 308. op. ed. Dyce I 328 sq.) et nostra memoria Kruegerus l. l. p. 40 sqq. luculenter exposuit. Neque tamen Kruegerus facere potuit, quin hoc quoque loco coniecturas suas interponeret. Nam cum Bentleius optime vidisset et oraculum et Scyri deditionem et Thesei pompam et Sophoclis victoriam ad archontem Apsephionem referendas esse, Kruegerus res Scyrias Phaedoni archonti adscribit, Sophoclem autem non ut a Plutarcho traditum est ab imperatoribus Scyro capta redeuntibus, sed a proelio ad Eurymedontem commisso coronatum esse coniicit. Adeo rationes suas non ad scriptorum testimonia accommodat, sed quaecunque eas pervertunt corrigit atque in suum usum transformat. Non aliter atque apud Plutarchum uno loco Apsephionis nomen oblitteratum est, in scholio Aeschineo quod supra laudavi factum esse videtur. Thucydidis enim verbis I 98 efficitur Eionis expugnationem non multo post secutam esse Scyri deditionem. Quodsi Cimon Demotionis anno ol. LXXVII. 3. 470/469 Eiona cepit, quemadmodum Diodorus memoriae prodidit, clades Atheniensium in coloniam missorum sequenti anno Apsephione archonte accidit.

IV.

Verum quaeramus tandem qua de causa factum sit, ut Kruegerus identidem scriptorum testimoniis reiectis ad coniecturas confugeret ipsa re non commendatas. Supra vidimus tempora rerum gestarum definienda esse ex magistratibus annuis regumque successionibus ideoque nobis ante omnia id agendum fuit, ut num quid in his vel scriptorum vel librariorum culpa erratum esset investigare-

mus. At Kruegero haec parum valent contra ea quae de Themistoclis aetate sibi eruisse visus est. Namque narratiuncula quadam confisus qua in Aeliani V. H. III 21 Themistocles puer Pisistrato tyranno de via cedere noluisse traditur, Themistoclem natum ol. LXI. 2. 535 a. Ch. n., et quoniam Plutarcho auctore in vit. Them. c. 31 Themistocles cum obiret sexaginta quinque annos haberet, ol. LXXVII. 3, 470 mortuum esse statuit (p. 31). Ego contra cum Lydiato Dunckero Curtio Themistoclem circa ol. LXIV. 524 natum esse censeo, mortuum quo tempore Aegyptii ab Atheniensibus adiuti contra Artaxerxem rebellaverant, proximis annis post ol. LXXX. 460: nec multum dissentit Dodwellus (ann. Thucyd. p. 100), qui ad ol. LXXXI. 3/4. 453 Themistoclis mortem retulit. Haec enim tempora significant quae Plutarchus narrat l. l. ἐν Μαγνησίᾳ μὲν οἰκῶν—ἐπὶ πολὺν χρόνον ἀδεῶς διῆγεν, οὐ πάνυ τι τοῖς Ἑλληνικοῖς πράγμασι βασιλέως προσέχοντος ὑπ' ἀσχολιῶν περὶ τὰς ἄνω πράξεις. ὡς δὲ Αἴγυπτός τε ἀφισταμένη βοηθούντων Ἀθηναίων καὶ τριήρεις Ἑλληνικαὶ μέχρι Κύπρου καὶ Κιλικίας ἀναπλέουσαι καὶ Κίμων θαλαττοκρατῶν ἐπέστρεψεν αὐτὸν ἀντεπιχειρεῖν τοῖς Ἕλλησι κτέ. Quo loco et Bactrorum defectio, de qua supra dixi, verbis περὶ τὰς ἄνω πράξεις indicatur, et status rerum qui bello Aegyptio fuit describitur, nisi quod Plutarchus et hic et in vit. Cim. c. 18 Cypri mentione ad ultimam Cimonis expeditionem deducitur, cum non meminisset etiam prioribus bellorum cum Persis gestorum temporibus Athenienses ad Cyprum insulam adpulisse: cf. C. I. G. I Nr. 165 (infra p. 18), qui titulus circa idem tempus scriptus est, quo Themistoclem obiisse statuimus. Cum hac Themistoclis aetate conveniunt quaecunque de eius vita ab auctoribus fide dignis tradita sunt. Aeliani quidem narratio, si cui quid veri continere videatur, cum Kleinerto (l. l. p. 213) et Curtio (II 686, 5) non de Pisistrato sed de aliquo Pisistratidarum accipienda erit: neque plus honoris tribuemus a Kruegero laudato, qui in libro de senectute ut doceret quantum senectus adolescentiae praestaret, Themistoclem adolescentem ob vitam flagitiosam a patre abdicatum esse, cum prope senectutem pervenisset, ab Atheniensibus adversus Persas ducem electum esse narravit (Io. Stob. floril. 117, 9, IV p. 93 sq. Mein.). Non melioris notae est, quod Plutarchus eodem capite (vit. Arist. 2. cf. reip. ger. praec. 11 p. 805 / Ἀριστείδην—ηὔξησε Κλεισθένης), quo Aristidem Clisthenis familiarem fuisse dixit, quasi Themistocles et Aristides prorsus aequales et contubernales fuissent, incertum quo auctore (ἔνιοι δέ φασιν), eorum dissensionem inter ludos pueriles ortam esse tradidit. Has omnes sive fabulas dixeris sive narratiunculas, quibus omnis Graecorum memoria, praesertim vita Themistoclis repleta est, nihili ducimus prae illis testimoniis, quibus fidem habendam esse ipsa re docemur. Themistoclem igitur Dionysius archaeol. rom. VI 34 archontem fuisse tradit anno qui olympiadem LXXII praecessit, a Ch. n. 493/2. Tertio anno post apud Marathonem in numero decem praetorum fuit cum Miltiade et Aristide ipse minor natu: νέος ὢν ἔτι Plut. Them. c. 3. Arist. c. 5. Bello Aeginetico Athenienses commovit, ut omni opum ac virium contentione ad condendam classem se adplicarent, qua aemulis superiores essent, atque dum civitati suae maris dominationem comparat, ipse summa auctoritate floruit, praesertim Aristide adversario testarum suffragiis in exilium pulso. Aristides cum tertio ante Xerxis expeditionem anno ol. LXXIV. 2. 483/2, Themistocli cedere coactus esset (Plut. Ar. c. 8), iure Herodotus VII 143 ubi de oraculis a Themistocle procuratis agit scripsit ἦν δὲ τῶν τις Ἀθηναίων ἀνὴρ ἐς πρώτους νεωστὶ παριών, τῷ οὔνομα μὲν ἦν Θεμιστοκλέης. Magni belli cum Persis gesti priore anno Atheniensium στρατηγὸς αὐτοκράτωρ fuit: post proelium Plataeense ol. LXXV. 2. 479/8 pervicit, ut Athenae novis moenibus iisque latiore ambitu firmarentur: mox civibus persuasit, ut Piraeum portum simulque tutissimum praesidium sibi constituerent, quod opus prius inceptum erat quo anno Themistocles archon fuerat. Verum quando Themistocles summo magistratu functus sit a doctis hominibus dubitatum est. Nam cum Thucydides scripserit I 93 ἐπεισε

δὲ καὶ τοῦ Πειραιῶς τὰ λοιπὰ ὁ Θεμιστοκλῆς οἰκοδομεῖν — ὑπῆρκτο δ'αὐτοῦ πρότερον ἐπὶ τῆς ἐκείνου ἀρχῆς ἧς κατ' ἐνιαυτὸν 'Αθηναίοις ἦρξεν, Clinton (F. H. II³ p. XVII sq. 234) Themistocli annum qui ol. LXXV praecedit tribuit, scholiastae ad l. l. verbis ductus κατά τινα ἐνιαυτὸν ἡγεμὼν ἐγένετο· πρὸ δὲ τῶν Μηδικῶν ἦρξε Θ. ἐνιαυτὸν ἕνα. Clintoni Thirlwalius assensus est hist. gr. II². 495. At illis verbis insipientis grammatici nihil nisi Thucydidis sententiam circumscribi Kruegerus vidit (p. 23): idem argumentis multis ingeniosisque probare studuit Themistoclem duobus annis ante ol. LXXV. a. Ch. n. 482/1 archontem fuisse: duorum enim ante Calliadem (ol. LXXV. 1. 480) archontum nomina interciderunt. Cui coniecturae ad Thucydidis Herodotique narrationem quam maxime accommodatae equidem non dubitarem adstipulari, si primum de temporibus belli Aeginetici ita constaret, ut negandum esset potuisse fieri, ut Athenienses ex munitionibus Piraei partem aliquam ante pugnam Marathoniam aedificarent, quindecim annis post opus coniunctum quidem cum priore sed multo magnificentius maiorisque molis perficerent: deinde si Dionysius ullo praeterea loco quo archontes atticos notavit — et sunt satis multi — parum se accuratum praebuisset: quod contra est. Propterea malo cum Boeckhio (comment. acad. Berol. a. 1827 p. 132 sqq.) et Curtio (II. 686, 7) annum qui ab auctore fide digno notatus est retinere quam coniecturam licet speciosa sit sequi. Possit alicui in mentem venire Themistoclem et ol. LXXI. 4 et LXXIV. 3 archontem fuisse, quemadmodum apud Dionysium arch. V 37 ol. LXVIIII. 1 nominatur 'Αθήνησι τὸ δεύτερον ἄρχων 'Ακεστορίδης, nisi Thucydidis verba indicare viderentur Themistoclem semel summo magistratu functum esse, quod a quo tempore vel lege vel more sancitum fuerit ignoramus.

Quocunque igitur tempore Athenienses Piraeum munire coeperunt, proximis post Xerxis in Graeciam expeditionem annis Themistoclem maximis operibus publicis praefuisse videmus. Imprimis gloria florebat a. 476, cum Phrynicho Dionysiis ol. LXXV. 4 Phoenissas docente ipse choragus esset et mox ludis Olympiacis ab universis Graecis honorificentissime exciperetur unusque omnium conspiceretur (Plut. Them. 5. 17. Paus. VIII 50, 3). Quibus ludis ne credamus Themistoclem contra Hieronis Syracusarum tyranni ministros tumultum concitasse, monui in Philol. XVIII 187. Post hunc annum quibus muneribus Themistocles functus sit compertum non habemus, nisi quod ex Timocreontis Rhodii versibus, quos Plutarchus l. l. c. 21 servavit, intellegimus illum postquam Aristides foedera Atheniensium cum graecis civitatibus constituit, Rhodum in societatem recepisse pulsis qui a Persarum partibus stetissent: quod quo anno factum sit dici nequit. Illud Droysenius in stud. philol. Kilon. a. 1841 p. 79 observavit, Isthmia, quae eodem loco Timocreon innuit, cogitanda esse vel a. 476 vel a. 474 (i. e. circa initium primi vel tertii anni ol. LXXVI) celebrata. Droysenius, cui Kruegerus persuaserat, priorem annum praeferebat: mihi potius de a. 474 cogitandum esse videtur. Ol. LXXVI. 4. 472 Aeschylus in Persis pugnam in Psyttalea insula Aristide duce commissam laudibus extulit: Themistoclis dolus quidem quo apud Xerxem usus sit tangitur, verum quantopere eius virtus Salamine spectata fuerit non praedicatur. Etenim illo tempore Themistocles invidiam civium suorum iam commovisse videtur, qua mox oppressus est, cum auctoribus potissimum Alcmaeone et Cimone (Plut. Cim. 10. Arist. 25. reip. ger. praec. 10 p. 805ᶜ) testarum suffragiis Athenis pelleretur. Quod indicium Diodorus XI 54 ol. LXXVII. 2. 471 habitum esse scripsit, quo anno quaecunque de fuga Themistoclis usque ad mortem cognita habebat narravit. Idem tempus fugae Themistoclis indicat Eusebius, qui eum ol. LXXVII. 2 ad Persas fugisse, ol. LXXVIII. 2 tauri sanguine hausto periisse notavit, et Cicero, qui in libro de amicitia 12, 42 scripsit: *Themistocles — cum imperator bello Persico servitute Graeciam liberavisset propterque invidiam in exilium pulsus esset, ingratae patriae iniuriam non tulit, quam ferre debuit: fecit idem quod viginti annis ante apud nos fecerat Coriolanus.* Coriolanus

enim a. u. c. 263 (a. Ch. 491) Roma cessisse traditur. Ceterum tenendum est apud Eusebium his quoque temporibus multa turbata esse, veluti Cimonis ad Eurymedontem victoria tertio Artaxerxis anno ol. LXXIX. 3. 462 adscribitur, quod perversum esse nemo negabit. In eo certe et a Cicerone et ab Eusebio erratum est quod inter exilii Themistoclis initium et fugam ad Persas non distinguitur. Re enim vera Themistoclem non ante illum quem cum Diodoro posuimus annum in exilium missum esse docent ea quae de Aristide comperta habemus. Aristidem enim (quem in testarum suffragio Themistocli parem vicem non reddidisse neque adversariis eius se adiunxisse Plutarchus auctor est in vit. Arist. c. 25) Nepos in vit. Arist. c. 3 dicit decessisse fere post annum quartum quam Themistocles erat Athenis expulsus, i. e. ex nostris rationibus circiter ol. LXXVIII. 2. 467/6. In vivis fuit atque adeo adfuit in theatro priore anno, cum Aeschyli Oedipodia ageretur, ex qua versus illos de Amphiarao dictos (Sept. ad Theb. 592 sqq.)

οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος ἀλλ' εἶναι θέλει,
βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
ἐξ ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα

a spectatoribus in Aristidis honorem acceptos esse Plutarchus l. l. c. 3 memoriae prodidit; cf. c. 26 τελευτῆσαι δὲ Ἀριστείδην — φασὶν Ἀθήνησι γήρᾳ τιμώμενον καὶ θαυμαζόμενον ὑπὸ τῶν πολιτῶν. Acta autem Oedipodia est, quod docemur didascalia illa ab Io. Franzio reperta et a. 1850 edita, archonte Theagenide ol. LXXVIII. 1, si in Dionysiis, a. 467 a. Ch. n., anno post quam Sophocles priores tenuit. Eodem fere redit, quod legimus in Plutarchi vit. Pericl. c. 7, Periclem ad rempublicam accessisse ἐπεὶ — Ἀριστείδης μὲν ἀποτεθνήκει καὶ Θεμιστοκλῆς ἐξεπεπτώκει, Κίμωνα δ' αἱ στρατεῖαι τὰ πολλὰ τῆς Ἑλλάδος ἔξω κατεῖχον, praefuisse autem Athenis quadraginta annis (ib. c. 16. Cic. de or. III 34. 138). Quem annorum numerum non nimis urgendum esse apparet. Videtur enim Pericles fere ab ol. LXXVIII. 468 rempublicam capessisse, quo tempore Themistocles iam tertium annum exulabat, Cimon captis Eione et Scyro clarus habebatur, Aristides denique a rebus gerendis prae senio abstinebat.

Themistocles postquam Athenis cedere coactus est Argis domicilium habuit indeque reliquam Peloponnesum adiit, donec a Lacedaemoniis societatis quam cum Pausania habuisset apud Athenienses accusaretur: quod ut quando factum sit definiamus etiam Pausaniae historia nobis excutienda est, de qua Thucydides I 94 sqq. 128 sqq. exposuit. Pausanias ol. LXXV. 4. 477/6 in Cypro atque Byzantii Graecorum classi praefuit: vere huius anni imperii maritimi principatus ad Athenienses delatus est: vd. Clinton. F. H. II app. 6. Krueger. p. 37 sqq.: eas enim rationes quibus Ern. Curtius motus est ut Atheniensium principatus initium ad ol. LXXVI. 3. 474 referret (hist. gr. II 100. 105. 690 n. 20. 22) mihi non probari iam supra monui. Spartam cum rediisset proditionis reus factus est, sed hoc certe crimine absolutus regia auctoritate Plistarchi tutelam gerere perrexit. Quamdiu Lacedaemone manserit, donec non publico quidem mandato, sed privato consilio iterum se Byzantium conferret, eo definitur, quod Cimone duce ab Atheniensibus Byzantio pulsus esse fertur: Cimonem enim inde ab ol. LXXVII. 3. 470 classi Atheniensium praefuisse et hoc ipso anno, antequam Eiona oppugnaret, Byzantium profectum esse vidimus (p. 10 sq.). Neque enim Kruegero adsentiendum esse puto, qui (p. 38 sq.) uno eodemque anno, et vere quidem ol. LXXV. 4. 476, Pausaniam cum Peloponnesiis domum revocatum, tum Dorcin praetorem cum parva manu in mare Aegaeum missum, denique Pausaniam dicta causa iterum Byzantium profectum esse statuit, sic ut Atheniensium classem etiam tum ibi morantem inveniret. Haec enim uno temporis momento facta esse nequeunt, sed Pausaniam aliquid temporis intermisisse, antequam relicta Lacedaemone denuo in loca Persarum finibus propinqua se conferret consentaneum est. Erratum autem est eo facilius, quod Plutarchus

In vita Cimonis (c. 6) Pausaniae praeturam, qua Chii Samii Lesbii aliaeque maritimae civitates praeter Peloponnesios ad Athenienses conversi cum Aristide aequas foederis conditiones pepigerunt (inter cuius collegas si iam tum Cimon fuit, tamen ut aetate minor ita auctoritate inferior habitus est), cum illo tempore commutavit, quo constituto iam Atheniensium principatu Pausanias a Cimone imperatore vi Byzantio expulsus est: vd. Thuc. I 131 ἐκ τοῦ Βυζαντίου βίᾳ ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ἐκπολιορκηθείς coll. c. 94, 2. 3. Plut. Cim. 6 οἱ σύμμαχοι μετὰ τοῦ Κίμωνος ἐξεπολιόρκησαν αὐτόν. Pausaniam igitur cum Byzantio se Colonas in Troade sitas contulisset archonte Demotione ol. LXXVII. 3. 470/469 iterum Spartam revocatum esse statuo, non multo ante illud tempus, quo Leotychidem eo crimine, quod a Thessalis pecunia corruptus esset, ab ephoris regno privatum esse vidimus. Pausaniam ephori primo in vincula coniecerunt, deinde cum maleficii convincere non potuissent in honorem pristinum restituerunt, ita ut denuo regia vice fungeretur, donec consiliis eius perniciosis patefactis et detectis exitio datus est. Quibus consiliis tenendum est Pausaniam hoc potissimum agitasse, quod olim Cleomenes in mente habuerat (cf. Herod. VI 74 sq.), ut Persarum opibus adiutus leges quibus Spartanorum respublica tum regebatur ephororum potentia abolita Helotisque in civitatem receptis everteret (Thuc. I 132, 4. coll. Aristot. Pol. V 1. 5. VII 13. 13). Ex his seminibus paucis annis post Helotarum, quos Pausanias sollicitaverat, seditio bellumque Messenium ortum est. Pausaniae necem Lacedaemoniis expiandam esse Apollo Delphicus censuit (Thuc. I 134, 4. Diod. XI 45. Paus. III 17, 7. 9.), qui semper regum ex Heraclidarum gente patronum se praestitit: ephororum autem auctoritas deposito Leotychide et Pausania oppresso adeo stabilita erat, ut reges eis tamquam parentibus filii oboedirent (Polyb. XXIV 8ᵃ πειθαρχοῦντες ὥσπερ γονεῦσι τοῖς ἐφόροις).

Pausania initio fere olympiadis LXXVIII sublato Lacedaemonii Themistoclem ut consiliorum eius conscium suae potentiae cum antea aemulum tum illo tempore apud Argivos Spartae semper infestos commorantem eisdem criminibus implicare studuerunt, veriti ni fallor ne sensim tota Peloponnesus a societate recederet. Iam Elei συνοικισμῷ instituto minores civitates in suam urbem contraxerant (Diod. XI 54), quod semper Lacedaemoniis invitis factum est: mox Tegeatae, deinde omnes Arcades praeter Mantinenses cum Spartanis bellum gesserunt (Herod. VIIII 35). His temporibus ferendum non esse rati ut Themistocles inter Peloponnesios versaretur, per legatos eum ut proditionis a Pausania agitatae socium detulerunt moveruntque Athenienses ut Leobote Alcmaeonis filio accusante (Plut. vit. Them. c. 23) absentem capitis damnarent. Themistocles publica auctoritate ab Atheniensibus Lacedaemoniisque missos, qui damnatum exposcerent et ubicunque esset prehenderent, antevertit primum Corcyram fugiendo, deinde ad Admetum Molossorum regem, denique a Pydna Ephesum navigando, qua navigatione ad Atheniensium classem tum maxime Naxum obsidentem delatus est. Ab Epheso Susa profectus per litteras Artaxerxi se commendavit, qui nuper Artabano occiso regno paterno potitus erat. Quod factum esse vidimus initio anni a. Ch. n. 464. ol. LXXVIII. 4.

Iam si cum Themistoclis historia narrata illa a Thucydide I 135 sqq. comparamus quae c. 98 sq. de rebus post Scyrum ab Atheniensibus occupatam gestis memoriae prodiderit, primum legimus Carystiis arma illata esse, donec de pactione inter bellantes conveniret: postea (μετὰ ταῦτα) Naxum defecisse atque obsidione coactam esse ut sub Atheniensium imperium rediret. Postea (μετὰ ταῦτα) ad Eurymedontem fluvium in Pamphylia terra marique Persarum copiae eodem die victae sunt. Insequenti tempore (χρόνῳ ὕστερον) Thasii ab Atheniensibus defecerunt. Haec acciderunt tribus fere annis, a vere ol. LXXVII. 4. 468 (vd. supra p. 10 sq.) usque ad ol. LXXVIII. 4 initium, circiter aestatem vel autumnum a. 465 a. Ch. n., quo tempore Thasium bellum ortum esse infra demonstrabitur. Accuratius quando singulae res quas Thucydides memoravit gestae sint definiri nequit. Kruegerus,

quem Scyri occupationem ad ol. LXXVI. 1 retulisse vidimus, duobus annis post, ol. LXXVI. 3. Carystios Atheniensium condiciones accepisse, sequenti anno Naxum captam, quarto anno post, ol. LXXVII. 3. ad Eurymedontem pugnatum esse statuit, Thucydidis parum ratione habita, quem eisdem verbis non multum diversa temporis spatia notare recte a Rospatto in Symbol. chronolog. ad hist. gr. 1841 editis (p. 7) observatum est. A Clintone Petero (in tabul. hist. gr. ed. II p. 51) Curtio et Naxiorum obsidio et expeditio ab Atheniensibus sociisque in Cariam Lyciam Pamphyliam suscepta, in qua proelium ad Eurymedontem commissum est, a. 466. ol. LXXVIII. 3 adsignata est. Equidem has res non uni anno tribuerim, sed Naxios, quos aliquantum temporis obsidionem tolerasse probabile est, non multo ante exitum a. 466 devictos esse censuerim, sequenti vere Cimonem cum classe ad Asiae litora profectum esse, circiter autumnum Thasios ab Atheniensium societate defecisse. Quodsi Themistocles anno 466 a. Ch. n. exeunte in Asiam transfugit, intellegitur, qui factum sit ut Ephorus Dinon alii ad Xerxem regem eum advenisse tradiderint, qui anno demum 465 occisus est. Neque enim Thucydides aliud memoriae prodidit quam Themistoclem, postquam bona quae Athenis Argisque apud familiares deposuerat, ad eum transmissa essent, Susa profectum esse, ubi Artaxerxes nuper regnum adeptus esset. Idem Charon Lampsacenus tradidisse videtur: vd. Plut. vit. Them. 27 Θουκυδίδης μὲν οὖν καὶ Χάρων ὁ Λαμψακηνὸς ἱστοροῦσι τεθνηκότος Ξέρξου πρὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ τῷ Θεμιστοκλεῖ γενέσθαι τὴν ἔντευξιν. Ceterum ne quis cum Hengstenbergio (l. l. p. 178) Charonis aetatem ad haec quae nos posuimus tempora non pertinuisse credat, moneo nihil de ea amplius constare quam floruisse Charonem ante bellum Peloponnesiacum et maiorem natu fuisse Herodoto et Thucydide. Vd. Car. Muellerum in Fragm. histor. gr. I praef. p. XVI sq.

V.

Atheniensium ad Eurymedontem victoriae tempus bello Thasio dixi ita definiri, ut autumno a. 465. ol. LXXVIII. 4 priorem fuisse statuere oporteat. Thucydides enim I 100 post illud proelium inter Athenienses Thasiosque de emporiis metallisque in ora Thracica sitis dissensionem bellumque ortum esse scribit. Athenienses proelio navali Thasiis superiores copias in insulam exposuerunt: coloni autem, quorum sub eadem tempora decem milia ad obtinendas Enneahodos, quibus postea Amphipolis nomen fuit, miserant, cum in interiores Thraciae regiones processissent, ad Drabescum a Thracibus trucidati sunt. Quorum proeliorum, victoriam navalem dico et cladem in terra acceptam, mentionem Thucydides coniunxit, quod utrumque ad easdem res pertinebat: Thasii enim arma ceperunt, quod Athenienses id agere videbant ut per colonos metalla occuparent, simul Thraces iam antea coloniae Atheniensium infestos sollicitaverunt. Cf. Herod. IX 75 Cωφάνεα — κατέλαβε — Ἀθηναίων στρατηγέοντα ἅμα Λεάγρῳ τῷ Γλαύκωνος ἀποθανεῖν ὑπὸ Ἠδωνῶν ἐν Δάτῳ περὶ τῶν μετάλλων τῶν χρυσέων μαχόμενον. Paus. I 29, 4 πρῶτοι δὲ ἐτάφησαν οὓς ἐν Θράκῃ ποτὲ ἐπικρατοῦντας μέχρι Δραβήσκου τῆς χώρας Ἠδωνοὶ φονεύουσιν —· στρατηγοὶ δὲ ἄλλοι τε ἦσαν καὶ Λέαγρος, ᾧ μάλιστα ἐπετέτραπτο ἡ δύναμις, καὶ Δεκελεὺς Cωφάνης. Sophanem Herodotus dicit et proelio Plataeensi et in Aegina insula singulari certamine qua Eurybaten Argivum vicit excelluisse, quod certamen ad prius bellum Aegineticum narratum illud ab Herodoto VI 92 pertinere propter Goebelium moneo (Zeitschr. f. d. österr. Gymn. X 448. 1859), qui quemadmodum hic quae in aperto sunt non vidit ita in reliquis quoque quae de his temporibus disputavit, parum accurate versatus est. Clades autem illa Atheniensium accidit vicesimo nono anno ante quam condita est Amphipolis archonte Euthymene ol. LXXXV. 4. 437/6, ergo archonte Lysitheo ol. LXXVIII. 4. 465/4.

triginta duobus annis post Aristagorae Milesii mortem. Vd. Clinton. F. H. a. 497. 465. 437. app. c. 9. Weissenborn. Hellen. p. 139. 142 sqq. Sic omnia optime inter se conveniunt, nisi quod eiusdem scholii Aeschinei, in quo Phaedonis et Apsephionis nomina commutata esse supra vidimus, hic quoque scriptura vitiosa est: legitur enim (ad Aesch. or. 2, 31 p. 48, 14 Dindorf.) δεύτερον (ἀπετύχησαν) οἱ μετὰ Λεωγόρου κληροῦχοι ἐπὶ Λυσικράτους. Ubi Λεάγρου et Λυσιθέου correctum est a Clintone F. H. II p. 263. Nomen Lysicratis qui ol. LXXXI 4. 453 archon fuit quin huc non pertineat nemo dubitavit, sed minus recte quam Clinton Meierus annum ol. LXXVIII. 3. 466/5 inducebat cum ἐπὶ Λυσανίου scribi vellet: longius etiam a vero recessit Kruegerus p. 144 sqq., cum Λυσιστράτου archontis ol. LXXVIII. 2. 467 nomen poneret. Quae vera fuerint Thasii Messeniique belli tempora facile apparebit, si cum Thucydidis narratione reliqua scriptorum testimonia contulerimus. Thucydides I 101 Thasios narrat proeliis victos et obsessos a Lacedaemoniis petivisse ut expeditione in Atticam facta sibi opem ferrent. Quam cum hi clam pararent, ne exirent terrae motu quo tota Laconica vastata est Helotarumque seditione impeditos esse. Ita dum Lacedaemonii contra Messenios bellum gererent, Thasios tertio obsidionis anno Atheniensium condicionibus se subiecisse. Bellum autem Messenium supra p. 8 ostendimus Plutarcho et Pausania auctoribus ol. LXXVIIII. 1. 464 post solstitium aestivum et ante aequinoctium autumnale ortum esse. Sequitur ut Thasii a. 465 ab Atheniensibus defecerint: a. 464 iteratis proeliis victi in urbem compulsi sunt: obsidionem sustinuerunt usque in tertium annum, ol. igitur LXXVIIII. 2/3. 462 Atheniensibus se dediderunt. Diodorus XI 70 totum bellum Thasium ol. LXXVIIII. 1. 464 paucis verbis memoravit, deinde aliis rebus interpositis colonorum Atheniensium interuerionem. Plutarchus in vita Cimonis postquam c. 13 de pugna Eurymedontia et de pace Calliae egit, quam falso quidem hac victoria partam credidit, c. 14 de Thasio bello exposuit, unde discimus et Cimonem hoc bello Atheniensibus praefuisse et quod, victis Thasiis Alexandro Macedonum regi (qui Thasios et Thraces vel contra Athenienses commovisse vel adiuvisse videtur) bellum non intulerit, a Pericle aliisque proditionis accusatum esse. Hanc causam, cuius Plutarchus in Periclis quoque vita c. 10, 3 meminit, proximo tempore, ol. LXXVIIII. 3. 462/1, actam esse probabile est. Absolutus est Cimon, cum praesentis auctoritas etiamtum inter cives polleret: sed cum denuo in bellum exiisset (ἐξέπλευσε), Plutarchus Periclem et Ephialtem dicit Areopagi auctoritatem sustulisse, ut populi scitis et decretis omnia agerent (Cim. c. 15), et sequentibus capitibus de ea re agit, quae Cimoni summam invidiam contraxerit, de auxilio Lacedaemoniis contra Messenios lato atque de exilio Cimonis testarum suffragiis decreto. Quae ubi considero improbanda mihi eorum opinio videtur, qui ex uno illo verbo ἐξέπλευσε hoc effecerunt, Cimonem non postquam Athenienses infecta re et propter fidem suspectam a Lacedaemoniis domum remissi sunt, Athenis pulsum esse, sed aliquanto post, cum Atheniensium classi quae in Cyprum atque in Aegyptum missa est praeesset. Quae Odofr. Muelleri in comm. ad Aesch. Eumen. p. 118, 3 sententia fuit, comprobata illa a Guil. Vischero I. I. p. 58—60 et ab Ernesto Curtio II. 134. 691, 28. Plutarchum autem Aristophanis in Lysistrata versibus 1137 sqq., quos laudat c. 16, in errorem inductum de duabus expeditionibus a Cimone in Lacedaemoniorum subsidium susceptis narrare Kruegerus intellexit et explicavit p. 154.

Anno igitur post Thasum receptam, ol. LXXVIIII. 3/4. 461, Cimon in Laconicam profectus est, cum bellum Messenium diu iam traheretur (Thuc. I 102 ὡς αὐτοῖς πρὸς τοὺς ἐν Ἰθώμῃ ἐμηκύνετο ὁ πόλεμος — πολιορκίας μακρᾶς καθεστηκυίας). Antea proeliis conflixerant, quorum unum ad Stenyclarum commissum quo trecenti Spartani ceciderunt Herodotus VIIII 64 memorat, alterum apud Ithomen quo Spartani vicerunt, idem VIIII 35. Eodem anno (ol. LXXVIIII. 4) non ante sextam prytaniam (cf. Schoemanni antiqu. gr. I[2] 410), initio igitur anni 460, Cimon in exilium missus est.

Circa idem tempus, hieme a. 461/0. Athenienses cum Argivis Lacedaemoniorum hostibus et cum Thessalis foedera fecerunt. Thuc. I. 102, 3. Argivi nuper, si Diodorum audimus (XI 65), eo anno qui terrae motum et initium Messenii belli secutus est, anno igitur ol. LXXVIIII. 2. 463 Mycenas everterant, τῶν Λακεδαιμονίων μὴ δυναμένων βοηθῆσαι διὰ τοὺς ἰδίους πολέμους καὶ τὴν ἐκ τῶν σεισμῶν γενομένην αὐτοῖς συμφοράν. De quo loco Thirlwallus in hist. gr. II² 456* optime contra Clintonem monuit: *Diodorus seems to be much better entitled to attention in his view of the connection of the events — than in his date* (ol. 78. 1. 468). Idem Droysenius observavit in Diar. antiquit. a. 1841 p. 226. Cf. Paus. VIII 27, 1. Mox Megarenses quoque a Corinthiis bello pressi cum Atheniensibus societatem inierunt. Thuc. I 103, 3. Eodem anno Athenienses cum expeditionem in Cyprum suscepissent, missa Cypro in Aegyptum navigarunt ab Inaro auxilio vocati et per sex annos bellum in Aegypto contra Persas gesserunt usque ad ol. LXXXI. 2. 454. Vd. Kruegerum p. 161 sqq. coll. Clintone a. 455. Denique, quae deinceps Thucydides narrat c. 105 sq., ad Halias, ad Cecryphaliam, post (μετὰ ταῦτα) ad Aeginam, deinde bis in Megaride ab Atheniensibus eodem anno pugnatum esse, quo in Cyprum et in Aegyptum copias suas miserant, ad unum annum a. Ch. n. 460. ol. LXXVIIII. 4 et LXXX. 1 pertinere Kruegerus l. l. docuit titulo illo merito celebrato (C. I. Gr. I. nr. 165) qui inscribitur verbis Ἐρεχθηΐδος οἵδε ἐν τῷ πολέμῳ ἀπέθανον, ἐν Κύπρῳ, ἐν Αἰγύπτῳ, ἐν Φοινίκῃ, ἐν Ἁλιεῦσιν, ἐν Αἰγίνῃ, Μεγαροῖ, τοῦ αὐτοῦ ἐνιαυτοῦ. His temporibus Athenienses longos muros aedificare coepisse Thucydides c. 107 auctor est. Insequentibus annis Lacedaemonii cum Messeniis, Athenienses cum Persis in Aegypto et cum Aeginetis bellabant, donec Lacedaemonii Nicomede duce in Phocidem profecti sunt, ut Dorienses a Phocensium dominatione vindicarent. A Phocide in Boeotiam ingressi Athenienses eorumque socios proelio ad Tanagram commisso vicerunt. Diodorus, qui eo loco multa confuse narravit, hoc proelium anno 458. ol. LXXX. 3 adscripsit (XI 79 sq.), sequenti anno 457. ol. LXXX. 4 Myronidis apud Oenophyta victoriam (XI 83), quam Thucydides duobus et sexaginta diebus post Tanagrense proelium reportatam esse testatur. Clinton p. 255 sq. haud improbabili ratione, quamquam pro certo hoc affirmari non potest, prius proelium ad Novembrem mensem a. 457, posterius ad Ianuarium a. 456 retulit. Plutarchus enim (vit. Cim. 17. Pericl. 10). Cimonem tradit Pericle auctore statim post pugnam Tanagrensem in patriam revocatum esse, dum Athenienses metuerent, ne Peloponnesii proxima aestate (εἰς ἔτους ὥραν) Atticam vastarent. In qua narratione licet hoc falsum sit, quod Plutarchus Cimonis reditum et pacem cum Lacedaemoniis faciendam sic coniungit, quasi statim de indutiis actum sit, quae anno demum 451. ol. LXXXII. 2 convenerunt (vd. Kruegerum p. 203 sq. cf. Thuc. V 14. 28), tamen dubium non est quin Cimon brevi post restitutus sit. Rediit autem Athenas quinto exilii anno (Theopomp. fr. 92 in schol. ad Arist. p. 528 Dind. cf. Corn. Nep. Cim. c. 3), i. e. ol. LXXX. 4. 456. Eodem tempore Athenienses muros longos perfecerunt: postea (μετὰ ταῦτα) Aeginetae se dediderunt. Thuc. I 108.

Sequenti anno ol. LXXXI. 1/2. 455 Tolmides cum Atheniensium classe Peloponnesum circumvectus est Messeniisque cum Spartanis pactis, ut sibi incolumibus Ithome abire liceret, Naupactum tradidit. Ita bellum Messenium anno 464 ortum decimo anno compositum est. Vd. Thucyd. I 103. 108. Diodorus XI 63 sq. initium belli ut ipse ait decennalis falso ad a. 469. ol. LXXVII. 4 retulit, finem c. 84 magis ad veritatem accommodate ad archontem Calliam ol. LXXXI. 1. 456/5, sub cuius exitum Tolmides Athenis profectus est. Kruegerus autem p. 156 sqq. Messenios per decem annos Spartanis restitisse negavit, nulla alia de causa, quam quod Thucydides in rebus enarrandis temporum ordinem numquam non servaverit: propterea statuendum esse Messenios prius ab Ithome cessisse Naupactumque translatos esse quam Athenienses vel cum Megarensibus vel cum Inaro foedus inirent.

Quam sententiam equidem falsam esse censeo. Thucydides imperii Atheniensium historiam ita descripsit, ut quid quoque loco maxime aptum esset spectaret: propterea imprimis temporum ordinem observavit, neque tamen ita ut ubi rei alicuius narrationem continuari expediebat eam quasi in membra discerperet. Sic I 89 primum Sesti obsidionem narravit, deinde reversus est ad ea quae post Plataeensem pugnam eadem hieme Athenis acta sunt. I 100 Thasiorum rebellionem narrat simulque coloniae atticae non multo ante (ὑπὸ τοὺς αὐτοὺς χρόνους) Amphipolin missae meminit. Belli Messenii quo accuratius initia exposuerat, eo facilius eodem capite finem memorare poterat, praesertim cum ad τῆς ἀρχῆς ἀπόδειξιν τῆς τῶν Ἀθηναίων reliqua eius historia non pertineret: simul addito annorum numero cavit ne quis de tempore erraret. Eundem numerum Diodorus legit (XI 64 ἐπὶ δὲ ἔτη δέκα τοῦ πολέμου μὴ δυναμένου διακριθῆναι. Thuc. I 103 οἱ δὲ ἐν Ἰθώμῃ δεκάτῳ ἔτει, ὡς οὐκέτι ἐδύναντο ἀντέχειν, ξυνέβησαν πρὸς τοὺς Λακεδαιμονίους) neve enim pro falso habeamus duae praeterea res vetare videntur, maxime quod fieri non potuit ut Athenienses priusquam societate cum Megarensibus inita eorum portus Nisaeam Pegasque tenerent (Thuc. I 103, 3), Naupactum occuparent, etsi Kruegerum recte statuere existimem (p. 201[n]) hanc urbem prius quam Tolmides primus cum classe Atheniensi Peloponnesum circumvectus est captam esse. Alterum quod me movet est, quod Iustinus III 6, ubi de bello a Messeniis incepto atque de auxilio ab Atheniensibus Lacedaemoniis lato ruptaque inter eos societate, mox de pecunia sociorum a Delo Athenas translata belloque a Peloponnesiis (Corinthiis puta, Epidauriis, Aeginetis) contra Athenienses moto, denique de bello Aegyptio dixit, his verbis pergit: *iam et Lacedaemonii omissis Messeniis adversus Athenienses arma verterant. diu varia victoria fuit: ad postremum aequo Marte utrimque discessum. inde revocati Lacedaemonii ad Messeniorum bellum* sqq. Sequitur ut Trogus quoque Messenium bellum post Tanagrense proelium finitum esse tradiderit. Ceterum Iustinus cum mota simultate Athenienses inter et Lacedaemonios tributa sociorum scribat a Delo Athenas esse translata, *ne deficientibus a fide societatis Lacedaemoniis praedae ac rapinae essent* non multum recedit a Plutarchi narratione in vit. Pericl. c. 12, qua Periclem dicit eo nomine, quo pecunia illa a barbaris tutior esset (δείσαντα τοὺς βαρβάρους), sententiam suam commendasse: nam cum Persis simul et Lacedaemoniis bellum inibant neque multo post legatus Persarum cum pecunia Lacedaemone receptus est (Thuc. I. 109). Illos scriptores si sequimur statuendum erit, postquam ol. LXXX. 1. 460 lege ab Ephialte rogata Areopagi in republica administranda auctoritas sublata est (certe huic anno Diodorus XI 77 Ephialtis rogationem adsignat nec video quid iure opponatur), proximis temporibus (ol. LXXX. 1/2) Periclem populiscitum de pecunia publica a Delo Athenas conferenda pertulisse atque hanc pecuniam ad longos muros aedificandos adhibuisse, quos hoc ipso tempore aedificari coeptos esse apud Thucydidem legimus (cf. p. 18). Ita simul et civitatis institutis et foederis cum graecis civitatibus initi legibus immutatis Pericles tantam potestatem adeptus est, ut neque Aeschylus Eumenidibus actis illis ol. LXXX 2. 458 Athenienses a consilio deterrere neque postea Cimon praesentia sua semel abolita restituere valeret. Haec quae ad Periclis in republica Atheniensium partes pertinent, pluribus exposui, ut indicarem Hermannum Sauppium (in act. menstr. ac. Gotting. 1865 p. 248 sq.) mihi non persuasisse olympiadis demum LXXXI. a. 3. 454 Deliacam pecuniam Athenas translatam esse.

Quae reliqua sunt post Atheniensium in Aegypto cladem usque ad foedus tricennale cum Peloponnesiis ictum per novem annos (tot enim secundum Thucydidem numerantur), ol. LXXXI. 2 — LXXXIII. 3. 454 — 445 gesta, ea Kruegerus p. 203 sqq. ita explicuit, ut ubique eius rationes probandas esse existimem. Neque enim mihi in animo est disputare, sitne pugna ad Coroneam cum Clintone ad annum 447 exeuntem an cum Kruegero ad annum 446 ineuntem referenda et quae

huius quaestionis similia neque possunt definiri nec si possent ad rerum illius aetatis cognitionem multum facerent.

VI.

Cum de Cimonis imperio et de Themistoclis fuga exponerem, Diodorum dixi res quae certo aliquo anno geri coeptae sunt ita persequi, ut continua narratione plurium annorum acta comprehenderet. His locis series quidem rerum servata est, anni autem pro libito hic illic interpositi. Qua ratione quot errores Diodorus commiserit, iam Clinton F. H. II app. VIII p. 259 sq. demonstravit, neque Kruegerus illum scriptorem falso in unum annum contorsisse, quae longiore temporis spatio gesta sint, negavit (p. 33. 34). Hic tamen cum rem plane inverterit quippe qui Diodorum statuat narrationem non a termino quem indicaverit sed ad hunc terminum instituere, neque annum quo aliquid inceptum sit sed quo finitum notare (v. l. l. et p. 145), operae pretium mihi facturus esse videor, si paucis doceam, quo modo Diodorus res in Graecia gestas disposuerit, simul autem ea tempora quae nobis pro veris habenda esse visa sunt in conspectu ponam, omissis Siculis rebus, quas Diodorus duce ni fallor Timaeo, quem in historiis primum olympiades ad tempora definienda adhibuisse notum est, maximam partem suis annis narrasse videtur. Graecas igitur res hac ratione tradidit:

479. *Xanthippus archon.* Res in Graecia post pugnam Salaminiam gestae. Proelia apud Plataeas et apud Mycalen. Sesto capta Xanthippus cum classe Athenas redit. XI 27—37.

478. *Timosthenes.* Athenienses post victoriam Plataeensem domum redeunt. Themistoclis ad Spartanos legatio. c. 39. 40.

477. *Adimantus.* Themistocle auctore Piraeeus munitur. Eodem tempore Pausanias in Cyprum insulam navigat, deinde Byzantium expugnat, mox clandestina cum Persis de proditione consilia init. Peloponnesii domum redeunt, reliqui Graeci cum Atheniensibus se coniungunt. Pausaniae turpis exitus: Aristidis de Atheniensibus sociisque merita. ταῦτα μὲν οὖν ἐπράχθη κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτόν. c. 41—47.

Sequuntur archontes Phaedon Dromoclides Acestorides Menon Chares annorum 476—472 ol. LXXVI. 1 — LXXVII. 1, quibus de Graecia nihil traditur, nisi quod c. 48 ol. LXXVI. 1. 476 Archidamum Leotychidi successisse notat et c. 50 (ol. LXXVI. 2. 475) Spartanos de bello Atheniensibus inferendo consultantes inducit.

479. Plataeae. Mycale.

478 vere. Sestus capta. Athenienses moenia urbis exstruunt.

477. Piraeeus munitur.

476. Themistoclis choregia in Phrynichi Phoenissis. Olymp. LXXVI agitur. Aristides principatum Atheniensium instituit.

ca. a. 474. Themistocles Rhodum Atheniensium principatui adiungit.

472. Aeschyli Persae.

471. *Praxiergus.* Elidis συνοικισμός. Themistocles testarum suffragiis Athenis expulsus Argos, inde ad Molossos, tandem ad Xerxem confugit. Themistoclis mors et laudatio. c. 54—59.

471. Themistoclis exilium.

470. *Demotion.* Cimon ab Atheniensibus dux creatur: Byzantium Eion Scyrus. Postquam Athenas rediit maiore navium apparatu in Cariam et Lyciam profectus Persas et mari ad Cyprum insulam et terra ad Eurymedontem fluvium superat. ταῦτα μὲν οὖν ἐπράχθη κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτόν. c. 60—62.

470. Ol. LXXVII. 3. Pausanias a Cimone Byzantio pulsus in Troadem se confert: inde Spartam revocatur.

469. *Phaedon* (imo *Apsephion*). Continuatur narratio rerum per plures annos gestarum. Laconica terrae motu vastata: regis Archidami virtus: Messeniorum seditio. Athenienses Spartanis auxilio profecti turpiter remittuntur. Bellum Messenium per decem annos trahitur. c. 63. 64.

469. Eion a Cimone expugnatur et colonia Atheniensium deducitur. Ol. LXXVII. 4. Leotychide deposito Archidamus succedit.

468. *Theagenides.* Ol. LXXVIII. Mycenae ab Argivis evertuntur, dum Spartani propter bella ex terrae motu coorta Mycenensibus opem ferre non possunt. c. 65.

468. Atheniensium ad Amphipolim clades. Scyrus occupata Theseique ossa Athenas translata. Sophoclis in Dionysiis victoria.

Sequuntur archontes Lysistratus Lysanias Lysitheus annorum 467—465. ol. LXXVIII. 2—4. quibus de graecis rebus verbum frustra quaesiveris. Ol. LXXVIII. 4. 465 de Xerxis et Artabani morte et de Artaxerxis regno agitur. c. 69.

467. Ol. LXXVIII. 1. Aeschyli trilogia Thebana acta vivo etiamtum Aristide. Pericles ad rem publicam accedit. Atheniensium bellum cum Carystiis. Circa hoc tempus Pausanias perit.

466. Naxus obsidetur. Themistocles in Asiam fugit.

465. Cimonis ad Eurymedontem victoria. Xerxes ab Artabano occiditur: Artabanus septem menses rerum potitur. — Thasii ab Atheniensibus deficiunt. Thraces Athenienses ad Drabescum caedunt.

464. *Archedemides.* Ol. LXXVIIII. Thasii deficiunt ab Atheniensibus iterumque sub deditionem rediguntur. Aeginetici belli initia. Atheniensium Amphipolim in coloniam missorum clades. c. 70.

464. Thasii proeliis victi ab Atheniensibus duce Cimone obsidentur. — Ol. LXXVIIII. Laconica terrae motu vastatur. Bellum Messenium incipit.

463. *Tlepolemus.* Aegyptii contra Artaxerxem rebellant, Inarum regem constituunt, cum Atheniensibus societatem ineunt. c. 71.

463. Mycenae ab Argivis diruuntur.

462. *Conon.* Achaemenes ab Aegyptiis Atheniensibusque devincitur. Artaxerxis ad Spartanos legatio. c. 74.

462. Tertio obsidionis anno Thasii se dedunt.

461. *Euippus* (imo *Euthippus*). Persarum duces Artabazus et Megabyzus bellum contra Aegyptios parant. c. 75.

461. Cimon Lacedaemoniis auxilio proficiscitur.

460. *Phrasiclides.* ol. LXXX. Athenienses Aegypto cedunt. Ephialtes Areopagi auctoritatem minuit: mox ipse clam necatur. c. 77.

460. Athenienses cum Argivis Thessalisque foedera faciunt. Cimon in exilium mittitur. — Megarenses cum Atheniensibus societatem ineunt. Athenienses classem Aegyptiis auxilio mittunt. Pugnae ad Halias, ad Cecryphaliam, ad Aeginam, in Megaride. — Areopagi auctoritate sublata pecunia sociorum a Delo Athenas transfertur. Longi muri aedificantur.

459. *Philocles.* Atheniensium bellum cum Corinthiis et Epidauriis. Pugnae navales ad Halias et ad Cecryphaliam. Athenienses Aeginetis arma inferunt eosque decem mensibus ad deditionem cogunt. c. 78.

459. Belli Aegyptii et Aeginetici alter annus. Circa haec tempora Themistocles moritur.

458. *Bion.* Bellum inter Corinthios et Megarenses. Athenienses foedere cum Megarensibus iuncto bis Myronide duce Corinthios vincunt. Phocenses Doriensium oppida occupant. Quibus cum Spartani Nicomede duce auxilium tulissent reversi in itinere ad Tanagram cum Atheniensibus Argivis Thessalis acie confligunt. Mox indutiae in quattuor menses fiunt. c. 79. 80.

458. Ol. LXXX. 2. Aeschyli Orestia. ol. LXXX. 3. Plistarchus moritur, cui Plistoanax succedit. Belli Aegyptii et Aeginetici tertius annus.

457. *Mnesithides.* Thebani a Lacedaemoniorum exercitu, qui apud Tanagram castra habebat, adiuti, reliquas Boeotiae civitates sibi subiiciunt. Myronides cum parvis Atheniensium copiis adversarios ad Oenophyta superat, praeter Boeotos etiam a Locrensibus et Phocensibus obsides accipit, denique

457. Spartani duce Nicomede in Phocidem et Boeotiam proficiscuntur. Pugna ad Tanagram. Belli Aegyptii et Aeginetici quartus annus.

Thessaliam ingressus Pharsalum sed frustra oppugnat. c. 81—83.

456. *Callias.* Ol. LXXXI. Tolmides Peloponnesum circumnavigat Messeniisque a Lacedaemoniis Ithome dimissis Naupactum tradit. c. 84.

456. Atheniensium ad Oenophyta victoria (ol. LXXX. 4). Cimon Athenas revocatur. Longi muri perficiuntur. Aeginetae se Atheniensibus dedunt. Quintus belli Aegyptii annus.

455. *Sosistratus.* Periclis in Acarnaniam expeditio. c. 85.

455. Tolmides circum Peloponnesum navigat Messeniosque decimo anno Ithome cedentes Naupactum transfert. Sextus belli Aegyptii annus.

454. *Ariston.* Cimon inter Athenienses et Peloponnesios indutias quinque annorum paciscitur. c. 86.

454. Belli Aegyptii finis. Athenienses in Thessaliam profecti Pharsalum frustra oppugnant. Periclis in Sicyoniam et Acarnaniam expeditio.

453. *Lysicrates.* Pericles agros Sicyoniorum, deinde Oeniadarum in Acarnania populatur. c. 88.

452. Ol. LXXXII in lacuna intercidit. Vd. Wesselingii adnotat. ad c. 91.

451. *Antidotus*, quo archonte de graecis rebus nihil tradit (c. 91).

451. Ol. LXXXII. 2. Indutiae quinquennales inter Athenienses et Peloponnesios.

450 et 449. *Euthydemus. Pedieus.* Cimonis in Cyprum expeditio. Cimonis mors. Pax inter Athenienses sociosque et Persas composita, cum Callias princeps legationis esset. XII 3. 4.

449. Ol. LXXXII. 3/4. Cimonis in Cyprum expeditio. Cimonis mors.

448. *Philiscus.* Ol. LXXXIII. Megarenses ab Atheniensium societate desciscunt. c. 5.

448. Bellum sacrum: Spartani templum Pythium Delphis tradunt, mox illis regressis Athenienses Phocensibus.

447. *Timarchides.* Lacedaemonii Atticam populantur. Tolmides in pugna Coronensi occiditur. Boeotiae civitates ex Atheniensium societate dimittuntur. c. 6.

447/6. Pugna Coronensis.

446. *Callimachus.* Euboea aliaeque civitates ab Atheniensibus deficiunt. Pericles Euboeam in Atheniensium dicionem redigit. Foedus tricennale. c. 7.

446. Euboea et Megara ab Atheniensibus deficiunt. Pericles in Euboeenses expeditionem suscipit, unde revertitur priusquam Peloponnesii Atticam invadant. Vastatis Atticae finibus Plistoanax Peloponnesios domum reducit. Pericles Euboeenses subigit. Histiaeam Athenienses occupant.

445. *Lysimachides.* Recepta Euboea Athenienses Histiaeam coloniam deducunt. c. 22.

445 In. ol. LXXXIII. 3. Foedus tricennale.

